



Kem 3489 (1-15)

546



DE
GREGORII MORBORVM
NRYOSIVM



Ueni 3489



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA 3

DE

SIGNIS DIVERSI FEBRIVM
CHARACTERIS.

QVAM

CONSENSV ATQVE AVCTORITATE GRATIOSAE
FACVLTATIS MEDICAE

IN ALMA FRIDERICIANA

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

LEGITIME OBTINENDO

DIE XXII. SEPT. MDCCLXXXII,

PVBlice DEFENDET

AVCTOR

FRIDERICVS WOHNHAAS,

CVRQVVS,

HALAE,

CITTERIS TRAMPIANIS



DISSERTATIO IN UNIVERSITATE MEDICA
HALLAE
PUBLIATA AUCTORITATE SENATUS
ACADEMICI

CONFERENTIA AUCTORITATE SENATUS
ACADEMICI
IN ALMA UNIVERSITATE
HALLAE

GRADU DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
PUBLI-
CATIONE SENATUS
ACADEMICI
DIE XXII. SEPT. MDCCCLXXII.

FRIDERICVS WOHNNHAAS
CIRCUITVS

HALLAE
PUBLI-
CATIONE SENATUS
ACADEMICI



V I R O
AMANTISSIMO ET SVMME
VENERANDO
FRIDERICO PHILIPPO
WOHNHAAS,
PATRI OPTIMO
HAS STVDIORVM PRIMITIAS
IN
PERPETVVM GRATISSIMI ANIMI
DOCUMENTVM
OFFERT
A V C T O R.



V I R O

AMANTISSIMO ET SYMME

VERENDANDO

FRIDRICO PHILIPPO

WOLFFENBUTELI

PATRI OPTIMO

HAB. STUDIOVA PRIMITIAS

IN

HERMANNI CHRISTIANI ANNI

DOCTORUM

ORATIONE

AUCTOR



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
SIGNIS DIVERSI FEBRIVM
CHARACTERIS.

DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA

DE

SIGNIS DIVERSI FEBRIVM

CHARACTERIS

D E

SIGNIS DIVERSI FEBRIVM
CHARACTERIS.

§. I.

Febres varia ratione dividi constat. Ita, verbi gratia, respectu typi, anni temporis, symptomatum quae eminent, uti exanthematum, et sic porro. Quae vero prae ceteris utilissima est febrivm divisio, causis certe nititur, quae veniunt curandae. Jam vero, posito hoc divisionis fundamento, itidem febres varia ratione dividi ac subdividi possunt. Ad statum enim aegri individualem plus minusve descendere poteris in hac febrivm divisione, partimque ad ipsas, quae impugnandae veniunt, causas, uti ad fordes, partim ad methodum, qua his occurrendum est in casu magis determinato, uti ad fordium conditionem, et qui hinc

A

pro-



promanat, necessarium remediorum, quae evacuant, selectum, partim ad relationem causarum, quae per se morbificae sunt, ad universam corporis constitutionem, sive salutarem, sive corporis saluti adversam, viribusque, quas dicunt, medicatricibus plus minusve congruam, respicere poteris. Missis autem hoc loco, quae paululum subtiliora sunt: febrem certe *genuinam simplicem* et *manifesto inflammatoriam, putridam, nervosam* et *gastricam*, diversam medendi methodum sibi vindicare, nemo certe negabit. Liceat itaque in hoc libello academico potissimum subsistere in exponendis signis, quae hujus generis aegritudines febriles spectant, et aliarum, quae sane distingui possunt, non nisi per transennam, et paucis verbis mentionem injicere. Duplici methodo haec signa non sine utilitate colligi posse, existimo. *Primum* nempe exponendo, quomodo *singula* quaedam signa sese habeant in diversis, quas dixi, febrium speciebus, uti calor in febre genuina ac manifesto inflammatoria, putrida etc.

Hac enim ratione optime perspicitur, qualis sit, quae hujus loci est, differentia. Haec enim omnia juxta se invicem posita eo magis elucescunt. *Tum* vero circa singulas febrium species signa colligendo, quae quidem omnia
in

in usum vocanda sunt, ut singulam quandam februm speciem cognoscas.

Itaque primum *de singulis signis*, quae eminent, exponamus, quomodo in laudatis februm speciebus sese habeant. Mittam vero omnes explicationes aliaque, quae adijci possent dicendis, ut eo facilius pateat, qualis hujus loci sit februm differentia. His vero praemissis, plura, quae singulas febres spectant, colligenda erunt criteria. — Prius tamen seorsim monere liceat, cavendum esse, ne uni quod dicam, signo fidem habeas, sed omnibus, quotquot licet, signis exacte comparatis, tum demum iudicium de febris natura superstruendum venire.

§. II.

Quod vario respectu *primo* loco commemoratione dignum est hujus generis signum, *calorem* spectat *febrilem*. Is in febribus inflammatoriis genuinis, manifestis atque simplicibus ingens est; ad tactum protinus percipiendus et quasi sub manu explorante sensim decrescens; medico haud molestus; pulsui respondens quoad frequentiam et impetum (magnitudinem volo et fortitudinem, seu uno verbo, vehementiam); atque per totum corpus magis

aequaliter diffusus (nisi causae superveniant accidentales, seu vitae jam instet periculum, ubi propter spasmos et inaequalem sanguinis circulum, diversus quoque caloris gradus in variis partibus observari solet. Tum vero, ubi haec contingunt, non amplius est simplex febris inflammatoria. In universum enim et per transennam monere liceat, plures morbos, hoc vel isto nomine ac caractere nosologico solemnes, uti *febrem biliosam*, *febrem inflammatoriam* aliosque, non per omnem aegritudinis decursum, si lethalis fuerit, veluti tales morbos unice considerandos esse, uti forte *nomen* suadet, quod in principio vel sub augmento morbi aegritudo nasci est. — Recte v. g. de febre *inflammatoria* loqueris; ubi vero mutationes superveniunt lethales, morbi, qui ad finem vitae corpus tenent, mortemque inducunt, longe certe alii sunt, quam qui ad febrem inflammatoriam referuntur quâ talem.)

In febre putrida sanguinea *calor* exploranti aequè ac aegro saepe singulari quadam ratione molestus est, mordax, pungens, sub manu tangente sensim quasi increfscens; pulsus vehementiae non respondens, atque remediis, quae in febribus inflammatoriis calorem inten-

dunt,

dunt, roborantibus, volatilioribus, potius cedens, aut sub eorundem usu decrefcens,

In febre nervosa acuta *calor* partes subito neque aequaliter infestat, admodum mutabilis est (uti frigoris sensu passim interceptus), neque pulsus vehementiae, neque aliis causis manifestis, quoad gradum respondet. Sensationes aegri et medici (circa calorem et frigus), in hoc februm genere saepius sibi repugnant. — Queritur v. g. aeger de frigore, ubi calorem animadvertere existimat medicus, vel certe aeger in hoc casu calorem abesse fatetur, quaeque his sunt similia.

In febribus manifesto gastricis seu biliosis *calor* (uti plura alia symptomata) ad calorem inflammatorium quodammodo accedit, sed dirigunt iudicium signa impuratum. — Gradus caloris magis respondet sordium phaenomenis, quam vehementiae pulsus.

In febribus tabidis invadere primum solet *calor febrilis* tempore vespertino, tum post prandium ac coenam; volamque potissimum manuum, plantam pedum, et passim unam alteramve genam (uti in febre purulenta hepatica

tica) afficit. — Solemnis quoque in his est calor iste volatili-
eus, unde subito facies rubet, & mox iterum pallefeit. —

De febribus intermittentibus circa *calorem* notan-
dum est; paroxysmum febrilem raro initium capere a
calore, id quod in aliis febribus continuis frequenter
accidit, sed praecedere solere frigus notabile. Accedit
tempus apyreton veluti signum manifestum in regulari
hujus generis febre.

In febribus denique catarrhalibus vicissitudo quae-
dam *frigoris & caloris* sensus solemnis est.

§. III.

Aliud signum praebet *pulsus*. — Is durus esse so-
let & vehemens (h. e. magnus & fortis) in febribus in-
flammatoriis, atque calori quoad impetum ac frequentiam
respondere. Discedendum tamen est ab inflammationibus
quibusdam, quippe quae non raro adjunctum habent pul-
sum magis parvum et non adeo frequentem, quàm passim
mollem. — Hoc valet de peripneumonia, quae majorem
gradum nata est; illud vero de inflammationibus plurium

par-

partium, quae in abdomine sedem suam habent, uti
 ventriculi et intestinorum. —

In febribus putridis sanguineis *pulsus* potissimum
 observatur parvus, debilis, frequens et quoad impetum
 ac vehementiam aliorum symptomatum vehementiae haud
 respondens. —

In febribus nervosis iisque acutis, *pulsus inconstans*
 est (vario tempore varius, ac saepissime mutatus ex alio
 in alium, absque causa manifesta); *parvus, celer, fre-*
quens, duriusculus, subinde tamen, quoad frequentiam,
 et alias conditiones, sub initio potissimum morbi, sano
 haud absimilis. Id quod forte contingit propter con-
 sensum nervorum morbosum atque insolitum, cujus
 nempe interventu solita vis causarum, pulsam alias tur-
 bantium, impeditur). Causae, quae pulsam adeo frequen-
 ter ac notabiliter mutant, non manifestae sunt, neque
 pulsus mutationi (quoad gradum) respondent.

In gastricis febribus haud raro *pulsus* accedit ad
 pulsam inflammatorium (huic nempe similis est, quoad
 frequentiam, celeritudinem, vehementiam), sed minor ta-

men esse solet vehementia, durities ac celeritudo, signisque sordium respondet, nisi complicata sit febris. — Ab hoc autem momento (morbi nempe complicatione) descendendum est in omni hac februm delineatione.

§. IV.

Tertio loco nominandae veniunt *vires*. In febris enim genuinis inflammatoriis omnium virium intentio quaedam ac vigor observatur; causae autem remotiores, quae hanc nimiam virium actionem inducunt, non ipsae cognitae sunt & sanabiles. — Hinc ipsam nimiam actionem naturae temperare studemus. — Prodit autem sese haec nimia virium actio pulsu & motibus muscularibus manifestis. Orgasum justo majorem habemus, siquidem major esse videatur, quam qui ad coctionem requiritur, vel si metum injiciant symptomata, ne in singula quadam parte gravior morbus oboriatur, veluti orgasmi sequela, uti inflammatio topica, vel suffocationis periculum. — In febris putridis insignis esse solet *virium prostratio*, eaque mox sub initio morbi conspicua. Hoc tamen respectu admodum memorabile est stadium pseudo-inflammatorium, seu apparenter phlogisticum, quippe quod subinde initium sistit aegritudinis putridae febrilis, vel in-

ter-

tercedit. Promonare videtur a reactione naturae, & ir-
 ritatione putrida. — Lucem affundunt reliqua, quae cir-
 cumstant, ortus v. g. morbi, atque similia. — In fe-
 bribus nervosis acutis *Symptomata virium* intentionis ac
 prostrationis saepe simul praesto sunt, uti symptomata spa-
 sctica & paralytica; sed causae, quae vires intendunt sive pro-
 sternunt, non solitae sunt & manifestae. — In febril-
 bus denique gastricis virium intentio sive prostratio signis
 fordium respondet, sive sint manifestae, sive magis abs-
 conditae.

§. V.

Quarto loco considerandum venit *delirium*. Illud
 enim vehemens esse consuevit in febribus inflammatoriis,
 nexumque manifesta virium intentione, motibus corporis,
 qui nimiam virium actionem significant, uti vociferatione
 multa atque utplurimum symptomatibus sanguinis ver-
 sus caput congesti sine causa commovente sananda; (uti
 vultu atroci, rubore genarum ac albugineae, susurru
 aurium, palpitatione arteriarum temporalium & colli)
 pulsuque itidem vehementi. — In putridis febribus *ob-
 scurum* esse solet *delirium* & manifesta jungi virium
 prostratione, pulsu parvo ac debili, stupiditate, apa-



thia, capite vertiginoso, obnubilato. — In acutis nervosis febribus *delirium* observatur cum virium, quae tamen prostratae inveniuntur, intentione violenta (ut v.g. aeger speciem prae se ferat meditabundi) multo saepius, quam in aliis febrium speciebus recurrens, diutius perseverans, subitaneo rationis & sensuum internorum usu saepius interceptum, causis manifestis non respondens, atque saepissime nexum symptomatibus nervorum proprie sic dictis, sive spasticis, sive paralyticis, uti risu sardonico, tendinum subsultu similibusve. — Gastricas febres haud raro comitatur *delirium* satis vehemens (quasi inflammatorium) sed signis irritamenti biliosi respondens. Passim monuerunt recentiores, in hoc genere febrium proprias quasdam ideas menti deliranti obversari solere, uti ideam hominis juxta aegrum positi, sed vana haec esse, neque minimam inde conclusionem valere ad febrem biliosam, sponte sua patefcit.

§. VI.

Quinto loco in auxilium vocanda est *constitutio* sic dicta *epidemica*. Res omnis nititur observationibus. Pro his enim constat, causas externas morbificas imperium quoddam exercere in ipsam morborum naturam,
qui

qui eodem tempore, atque in eadem regione late grassantur. Neque vero negligendum est, propter aegri constitutionem, quam privatam dicere solent, utique fieri posse, ut in aliam morbi speciem incidat, quam quae late grassatur, quamvis huic ceterum simillimam.

§. VII.

Sexto loco commemorandum est, veluti signum huc referendum, febris, quae praesto est, *typus*. — In gastricis febribus solemnis certe est notabilis symptomatum febrilium remissio. — Putridae ad febres continentes accedere solent. — In febribus autem intermittibus malignis *typus* fere unicum & utilissimum signum praebet.

§. VIII.

Septimo loco respiciendum est ad *causas disponentes*. — Febribus inflammatoriis favent robur corporis, & vigor naturalis, temperamentum cholericum & sanguineum, aetas vitae media, plethora, victus lautus, motus corporis fortiores, causaeque huius febris occasionales minori gradu admissae, quam quod occasionem praebere poterint. — (In universum enim monere liceat, omnes causas

causas occasionales, quatenus hoc minori gradu agunt, ad causas disponentes referri posse. Hoc enim causarum genus causas sistit occasionales dispositionum). — Putridis favent keneangia, cacochymia varii generis, languor sanguificationis, causaeque itidem occasionales, gradu minori admissae, uti excretiones suppressae, aliae. — Nervosis febribus languor utique favet systematis nervorum, vel nimia sensibilitas ac irritabilitas, respectu febris lentae nervosae; quod vero febres acutas hujus generis spectat, simili nervorum ac musculorum morbo praegresso opus non est. — Gastricis denique febribus favet debilitas officinae, quae digestioni intervit (uti inertia bilis, aliaeque multa huc referenda) causaeque occasionales, gradu, quem dixi, minori admissae, (uti vita sedentaria, tristitia animi pathemata, similiaque).

§ IX.

Octavum locum sibi passim haec vindicant *causae occasionales*. Passim inquam, id quod de aliis quoque valet, quorum memini, signis. Neque enim a causa occasionali manifesta semper valet conclusio ad febris hac ratione abortivae naturam. Passim vero ipsa haec causa

occa-

occasionalis, lucem affundit. — Hoc igitur respectu nominanda veniunt: 1) quoad febres inflammatorias: violentiae externae, (in febre v. g. vulneraria, vulgo inflammatoria); medicamenta irritantia; causae exaestuantēs, haemorrhagiae suppressae; ne multa, quodcunque irritamentum febrile vehemens, quatenus corpus ad inflammationes proclive commovet, vel nimium commovet, neque arte removeri potest. —

2) Quoad febres putridas: contagium, aër corruptus (in febre v. g. carceraria, nosocomica, navali &c.) alimenta cacochyma, retenta,

3) Quoad febres nervosas: aëris constitutio & causae, quae manifesta ratione vires nervorum frangunt, vel nimis intendunt; uti abusus veneris, spirituosorum, aliaque,

4) Quoad gastricas: contaminatio manifesta primarum viarum (ingesta dyspepta) vel dyscrasia humorum abdominalis & nunc his illisve causis commota, uti animi pathematibus aliisque,

§. X.

Neque reticendus est nono loco *modus*, quo febris oboritur, suumque initium capit. Neque enim rarum est, febres genuinas inflammatorias subito enasci, instar fere ossium fracturae. — Putridis contra febribus saepe praevia sunt symptomata cacochymiae, & vis vitalis prostratae (sapor v.g. putridus, odor corporis alienus, virium prostratio sine causa manifesta &c.) febresque alius generis, quae in putridas convertuntur.

Plurimae enim hujus generis febres, sunt febres putridae secundariae. (Neglectus evacuantium, abusus remedium quae exactuant, antiphlogisticorum, evacuantium, similiaque praebent occasionem). — Gastricis febribus non raro sunt praevia per plures dies symptomata impuritatum, ac simili ratione nervosis febribus symptomata nervorum manifesta, uti affectus subinde tetanoidei, post aliquot dies in febrem conversi, stadiumque, quod solemne est morbi primum atque ad speciem leve, pervigilio tamen, aegritudinis sensu quodam ac peculiari, aliisque conspicuum.

§. XI.

Denique animadvertendum est ad auxilia artis aequae ipsius naturae. — Id quod uberius patebit ex iis,

quae

quae nunc de singulis, quas dixi, febrium speciebus ad-
jungere placet.

A. Febris inflammatoriae criteria.

§. XII.

Pulsus vehemens, magnus, plenus, durus, quoad
frequentiam et impetum calori respondens. — Calor ingens
per totum corpus aequaliter diffusus, ad tactum haud mole-
stus, protinus percipiendus, et quasi sub manu explo-
rante sensim decrescens. — Intentio quaedam et vi-
gor omnium virium ac functionum. — Delirium, si
quod adest, vehemens, motibus corporis qui virium inten-
tionem significant, vociferatione multa, atque ut plurimum
symptomatibus sanguinis versus caput congesti nexum. —
Palpitatio subinde arteriarum colli, aliarumque. — Siccitas
quaedam, unde urina saturate rubra, fitis enormis,
cutis sicca et tensa, aquam admodum avide quasi resor-
bens, lingua rubra, arida etc. —

Causae occasionales (haemorrhagiae suppressae, vio-
lenticae externae, vulnera aliaque irritamenta corpori ce-
terum sano applicata; imprimisque constitutio epidemica,

nunc

nunc forte inflammatoria) et causae disponentes (v. g. robur corporis naturale) eundem febrium characterem quodam modo significant. — Typus febrium ut plurimum continens, sive ad hunc propius accedens. — In decursu mali saepissime inflammationes hujus illiusve partis, quarum itaque signa accedunt. — Salutem afferunt haemorrhagia larga, imprimisque narium; urina copiosa et sedimentosa, sudores largi et universi; subinde sputa atque remotio irritamenti, quod forte in casu obvio subest, et medicorum sensus haud raro fugit. — Quod causas harum febrium curandas spectat: huc pertinent:

I. Irritamenta, quae nunc adhuc in corpus agunt et remotionem, seu aliam curationis partem concedunt; v. g. acrimoniae, quarum iuxta haec passim est suspicio, seu irritamenta mechanica vulneribus forte inducta, etc. — Rarissime tamen hac methodo scientifica pugnare licet medicis contra febres inflammatorias. Causas enim remotissimas ac praeternaturales, quae passim subesse videntur, cognitae non habemus. — Hinc venam secando, et ceteris remediis antiphlogisticis nihil aliud molimur, nisi reactionis mitigationem. — Istitis enim remediis in usum vocatis, natura nunc agit remissius. Itaque curandum est:

II,

II. Ioco, ne concitatus agat natura, quam par est. Pertinet huc: 1) *Turgor sanguinis inflammatorius*, a) ubi symptomata orgasmici metum injiciunt, ne in parte quadam gravior morbus oboriatur; b) ubi orgasmus major est, quam qui ad coctionem forte necessariam requiritur; & c) irritamenta ipsa vel nobis incognita sunt, vel insanabilia. Mittitur itaque sanguis. 2) *Actio fibrarum muscularium atque nervorum immodica*. Hinc usus nitroforum, emollientium, aliorumque. 3) Passim sed rarius: *nimia sensibilitas ac irritabilitas* a causis potissimum violentis ad motus enormes sollicitata. — Hinc cautus Opii usus, passim necessarius.

III. Ad ea respiciendum est, quibus eget natura, ut causas vel nobis incognitas, vel certe non sanabiles; queat superare. — Pertinet huc: *aqua et reliquae conditiones*, quae *crisibus* favent. His enim *obstant* v. g. *rigiditas ac tensio fibrarum* (unde usus *emollientium* &c.) *spasmi cutanei* (unde applicatio aquae calidae, frotus &c.) *calor nimius & aër aegrum ambiens*, phlogisto nimis plenus. (Hinc aër purus, frigidiusculus &c.)

B. Febris gastricae criteria.

In hoc febrium genere *impuritates* sive *primarum viarum* sive *sanguinis*, quae vomitu seu dejectionibus alvini in salutem aegri *excernendae*, & forte ad salutarem hanc excretionem *praeparandae* veniunt, causam febris curandam absolvunt. — *Modus* itaque, quo vel natura vel arte causa harum febrium optime removeri potest, febrium hujus generis characterem ponit. — Causam vero absolvunt: 1) *sordes, primis viis inhaerentes*, & haec forte ab alimentis dyspeptis inductae, vel a sanguine huc jam delatae. — 2) *Dyscrasia humorum abdominalis* (secretionibus nempe & excretionibus, quae in abdomine contingunt, congrue solvenda, atque ab harum excretionum languore potissimum enata).

Signa hujus generis impuritatum hauriuntur: a) a *symptomatibus*, quae ab ipsa conspurcatione *primarum viarum* saepius dependent. Pertinent huc potissimum: dysorexia & norexia, quin horror ciborum, vomituritio; ac vomitus, lingua manifesto fordida (impuritatibus nempe biliosis, mucosae, aliisque obducta), sapor aegri

egri alienus, uti sensus quidam corporis amari, putridi aliusve linguae molestus; affectus abdominales, borborygni, excretiones per alvum praeter naturam &c.

b) a *symptomatibus*, quae a simili conspurcatione *aliarum* itidem corporis *parium* passim proveniunt. *Habitus* v. g. *biliosus*, *urina crocea* vel *turbida* ac *limosa*. c) a *vehementia symptomatum febris* magis *essentialium*, uti *caloris*, *pulsus*, subinde *delirii* etc.; quippe quae ad *eam* accedit, quae *febris inflammatorii* familiaris est, in hoc autem februm genere *gradum* pro *orgasmo sanguinis* expectandum *superare* videtur. d) a causis occasionalibus ac disponentibus; constitutione epidemica etc. e) a defectu alius generis causae therapeuticae, cui passim debentur *phaenomena similia*, ad sordes primarum viarum relata. Sunt hujus potissimum loci: *motus nervorum inordinati*, qui systema biliferum ac primas vias commovendo phaenomenis sordium occasionem praebent, (uti post commotionem cerebri violentam, in morbo a navigatione, post animi pathema, nunc adhuc systema nervorum perturbans; &c.). — *Sordes*, quas diximus, in febribus gastricis vel *manifestae* sunt (ubi signa commemorata in sensus facile cadunt); — vel *latentes*. In hoc enim casu *fig-*

na laudata *deficiunt* aut *obscura* & exigua ratione percipi possunt, quamvis in decursu mali subinde paulo magis emergant, ac sensibus se prodant. — Passim & hoc desideratur, crisis tamen, aut remediis antigafiricis ad finem morbi veluti congruis ac salutaribus conspicuis. — Et *haec* quidem *signorum*, quae sordes spectant, sive *absentia* sive *obscuritas* ibi potissimum evenire posse videtur, ubi nec primae viae, nec aliae partes a causa fordida contaminatae inveniuntur, praesente tamen *dyscrasia humorum abdominali*, ad primas vias nunc vergente. —

In casu itaque *sordium latentium* ad *sequentia momenta* respiciendum est: — 1) Omnium maxime ad *absentiam* signorum, quae alium febris characterem significant, 2) Ad relationem, quae calorem similesve irritationis effectus & manifestum sanguinis orgasmum intercedit. — Isti enim effectus manifestum hunc orgasmum superant. — Cognoscitur inde, irritamentum quod sanguini inesse, unde gradus caloris aliorumque irritationis effectuum gradus augetur. — Plura phaenomena ad characterem febrium inflammatorum propius accedunt, praesente tamen sordium suspitione, quamvis

ob

obscura. — 3) Ad constitutionem epidemicam & reliquas *hujus generis febrium* causas. 4) Ad habitum externum. In rugis, quae forte in facie circa nares aut frontem locum habent, siquidem manu diducantur, color subinde intus apparet croceus, & in parte rugarum convexa rubicundus. — Genarum *color*, haud raro instar ejus, qui *minii* est, sese habet. Rubor hujus generis circumscriptus genas saepius tenet, partibus, quae vicinae sunt, colore magis sordido, uti croceo obductis. — 5) Ad molestias abdominales. — *Sensationes* enim *ingratae circa praecordia* saepissime adfunt, uti sensus quidam plenitudinis & anxietatis ad praecordia relatae &c. — In universum autem *cavendum* est, ne hujus generis aegritudines a *sordibus latentibus* repetitas, *saepius* ac par est, admittamus. Neque enim nobis est improbable, fomitem saepius morbi, alia ac magis congrua ratione solvendi, ab ipsa arte medica ad primas vias duci, atque his demum expelli violenta quadam neque satis congrua methodo antigastrica. — Ars medica in hoc febrium genere,

1^{mo} *causas impugnat sordium immobilitatis*. *Sordes* enim *immobiles* dicuntur, quae salutarem per os seu

alvum excretionem nondum concedunt. *Sive enim*
in primas vias nondum satis depositae sunt, sive his
nimis tenaciter inhaerent, sive denique alia obstant
excretionum impedimenta. Cognoscitur autem for-
dium immobilitas sequenti ratione. — Praesto qui-
dem sunt fordium signa; symptomata autem turgor-
is gastrici deficiunt, vel minus sunt manifesta. —
Aebet enim, vel non manifesta est inquietudo, anxie-
tas, uti & reliqui excretionum, (sive vomitus,
sive diarrhoeae), prodromi; fordes in lingua conspi-
cuae huic quasi altius infixae, atque tenaciter
inhaerentes; siccitas linguae; sapor amarus,
aliusve qui alienus sit, magis obscurus vel nul-
lus; excreta per alvum, vel nulla vel difficilius
excreta, vel sanis magis similia, nec denique
aquosa, & sordibus manifestis minus plena. —
Morbi stadium; principium nempe morbi gastrici,
neque a deglutitis recenter, sed lentius oborti. —
Causae immobilitatis sunt forte conspicuae. Me-
dicamenta congrua, & sordes solventia, nondum
in usum vocata. —

Causae

Causae hujus immobilitatis sunt:

1) *Impuritatium, quae primis viis inhaerent, tenacitas* (uti a pituita & muco); *similis quaedam humorum conditio*; quorum necessaria est ad primas vias depositio; *defectus aquae seu stimuli sordes sanguinis ad congruum excretionis locum allicientis.* (His enim, quorum ultimo loco commemoravimus, momentis medicamenta sic dicta *resolventia* saepissime prospicere nobis videntur).

Signa primae hujus immobilitatis causae.

Abentia causarum, quae reliquae sunt. —
 Dietae enim saepissime ac vulgo locum habent.
 Lingua muco, seu pituita viscida, ac tenaci obducta. — Sapor saepius instar ejus, qui a febo percipitur. Odor subinde similis. Pituita viscida, in aliis quoque iisque excretoriis viis conspicua. Causae visciditatis admittae. — Temperamentum phlegmaticum, status corporis frigidus. —
 Pertinent huc febres sic dictae mucosae. In his tamen non solum humores primarum viarum, sed etiam alii *mucositatis* participes esse videntur;

neque non *causae alius generis ut plurimum sociatae* sunt, vel *facile superveniunt* in hoc febrili genere. Decursus mali lentus. Minor symptomatum febrilium vehementia.

- 2) *Acrimonia impuritatum abdominalium*, quippe quae spasmos aliaque secretionis & excretionis fatalis impedimenta inducere valet.

Signa. Excreta manifesto acerrima, unde v. g. excoaratio circa anum, fauces, &c. — Acerrima deglutita. Bilis acerrimae vestigia, uti in cholera, hominibus biliosis, cholericis, post animi pathemata vehementiora, post iram, tempestate fervida &c. Dolores ventris, nifus ad excretionem primarum viarum frustranei, excretiones frequentissimae sed parcae, quibus alia, quam quae irritant, ejiuntur, uti in affectionibus dysentericis.

- 3) *Motus nervorum irregulares ac spasmi.* (Obstant enim secretionibus aequae ac excretionibus primarum viarum).

Signa.

Signa. Causae, quae spasmos &c. inducunt incognitae, vel arte non satis cito, quin plane non removendae. Sensibilitas ac erethismus primarum viarum seu plurium partium, uti in hysteriis, aliisque; symptomata alia itidem spastica ac nervosa; urina v. g. pallida, calor & rubor faciei mutabilis, aliaque.

- 4) *Plethora sive diathesis humorum phlogistica;* subinde forte non nisi *plethora abdominalis.* — Hinc enim propter nimios naturae motus, spasmos aliaque *secretio causae morbificae* impeditur. — Secta autem vena fordes, quae antea latebant, nunc se produnt, ipsis subinde, quae sequuntur, excretionibus primarum viarum salutaribus.

Signa. Status complicatus praesto esse videtur *inflammatorio - gastricus.* Dispositio ad morbos phlogisticos; causae autem morbi gastrici admittit. — Sordium earumque immobilium phaenomena pauca, atque febris symptomata (uti calor) *nihilo minus* graviora. — Constitutio epidemica, aliaque. —

5) *Languor virium*, vel absolutus vel relativus.

Signa. Excretiones aquosae frustraneae, fordium vestigia minime obscura; virium autem actio nimis exigua, neque ab impedimento removendo sustentata. Causae virium languoris manifestae forte praegressae, pulsus debilis, aliaque prostrationis virium symptomata. Tentanda itaque est resolutio irritando corpus ac roborando. — (In viis excretoriis, uti in lingua, ad finem morbi gastrici quaedam subinde permanent contaminationis fordidae vestigia. — Roborantibus itidem cedunt, neque vero referendum hoc est *ad morbos a sordium immobilitate*, qui *hujus sunt loci*. Reliqua enim phaenomena febrilia in hoc casu evanuerunt vel nunc decedunt, & *sordes* quae supersunt, vitium sistunt non nisi *topicum* atque *superstes*).

6) Sanguinis quaedam *constitutio*, nisi atrabilaria, ad hanc tamen certe propius accedens. — (Locuti sunt passim de *febribus atrabiliaris* & constitutione epidemica *atrabilaria*. — Quo jure & quales sint harum februm causae, haec nostra non inter-

interest. — *Observationibus* autem fidem habentes, sequentem gastricarum speciem distinguamus. — Impuratum gastricarum depositio ad primas vias, earumque ex his excretio in hoc casu insolita quadam ratione remediis obstant, neque nisi interjecto insolito tempore, per alvum in summam aegri salutem succedit, fociis quibusdam phaenomenis, quae fere ad spissitudinem atrabiliarum pertinere videntur.

Signa. Phaenomena spissitudinis atrabiliarum.
Constitutio epidemica.

II. *Mobiles sordes expellit.*

Signa mobilitatis. Sordes supra linguam eminentes, ac fere mobiles. Humiditas linguae. Nisus naturae ad excretionem, symptomatibus, quae ad turgorem in universum referuntur, potissimum tamen *anxietate quadam ac inquietudine* conspicuus. Symptomatibus *plus inest* (ut ita dicamus) *vigoris ac vehementiae* (Calor v. g. delirium, sapor alienus, excretorum sordities, aliaque graviora sunt atque turgoris indicia). Origo morbi,

bi, (v. g. a deglutitis facile mobilibus) & *tempus*, *Cochionis*, qua forte opus fuit, causae praegressivae. Signa fordium immobilitatis ejusque causarum nulla adfunt vel arte jam profligata.

Expellit autem 1) *sursum* ubi *sursum*, 2) *deorsum* ubi *deorsum* turgescunt. — Utrumque molitur, ubi, simul *ana* & *kata* vergere videntur. —

Sursum turgere indicia sunt: sapor amarus aliusque notabilis; appetitus prostratio; horror ciborum; ructus, nausea; quin vomituritio ac vomitus. — Lingua fordida, uti flava, biliosa &c. — Sensus quidam molestae plenitudinis circa ventriculum, unde anxietas summa. Dolores capitis, ut plurimum circa mediam frontis partem gravativi. *Vertigo*. *Aurium* & *oculorum perturbationes*, uti susurrus aurium, sensatio nebulae oculis obversantis &c. Delirium gravius, atque in universum partium corporis *superiorum* affectiones. — Anima foetens. Excreta per alvum vel nulla, vel haud eminenter fordida; neque forte nisus ad diarrhoeam. — Urina saepe crocea. Noxia recenter deglutita,

Deorsum

Deorsum turgere significant: sensus virium prostrationis subdolorificae (Zerschlagenheit) circa extremitates inferiores; dolores saepius circa genua, lumbos, ac ventrem; nifus ad diarrhoeas; abdomen tumidum, dolens, aut alia ratione affectum; borborygmi, flatus &c. Excreta per alvum sordida, aliena, male olentia. — Urina jumentosa. — *Tempus atque origo morbi gastrici*. Phaenomena morbi gastrici, absentibus tamen signis quae turgorem significant ad superiora. —

III. Ad conditionem fordium simul respicit, quippe quae varia est, ideoque *medicamenta varia* postulat, sive ad excretionem, sive ad mutationem, qua opus est, praeviam rite promovendam. — Hoc itaque respectu singularem attentionem merentur:

1) *Vermes*. Febris inde anomala. Symptomata nervosa citra characterem febris proprie nervosum. Excretio per alvum inconstans, mucosa, subdolorifica, tenesmoidea. Vrina pallida. Symptomata plura verminosa; quin ipsa vermium excretio, non tamen praesente alia eaque sufficiente causa febris therapeutica. — Opus est anthelminticis.

2) *Fomes*

2) *Fomes abdominalis ad putredinem aut similem corruptionem* vergens (*Febris gastrica cum fomite putrido*, unde facilis ortus est febris sanguineae putridae). — Prostratio virium eminens, Excretorum per primas vias corruptio manifesta. — Sapor aegri putridus. Horror ciborum. Appetitus acidorum. Ruſtus putridi, rancidi &c. Opus est evacuantibus antisepticiis v. g. Pulpa tamarindorum &c.

3) *Pituita tenax; mucus* &c. Lingua pituitosa &c. Resolventibus opus est, uti sale ammoniaco &c.

4) *Acrimonia sordium insignis.* (*Bilis acerrima*). Opus est evacuantibus mucilaginosiis &c.

5) *Sordes primarum viarum rancidae; biliosae.* Ruſtus, qui fauces exurunt, soda, urina flammea & acris, sudores oleosi, sitis enormis, &c. Abusus pinguium praegressus.

6) *Acrimonia acida praevalens.* Ruſtus acidi; excreta reliqua (uti bilis per vomitum &c.) itidem acida. Pallor. Abusus acidorum.

7) *Atra*

7) *Atra bilis*. (Vide superius). — Expulso autem fo-
mite fordido per primas vias, passim tamen in hoc
februm genere *sordes supersunt*, quarum excre-
tioni alia quoque idonea sunt corporis colatoria, qui-
bus reliquiae morbi gastrici haud incongrue remo-
ventur, uti per cutim aliaque.

§. XIV.

C. Febris putridae sanguineae criteria.

In hoc februm genere causae curandae potiores
sunt: vis vitalis prostratio, atque humorum resolutio ad
putredinem vergens.

Signa.

I. *Symptomata*. Pulsus parvus, debilis, frequens, quo-
ad impetum ac vehementiam non respondens aliorum
symptomatum vehementiae; calor mordax, exploranti
ac aegro molestus, quasi sub manu tangente sensim in-
crescens, remediis, quae calorem intendunt, roboranti-
bus potius cedens, aut sub eorum usu decrescens, ne-
que pulsus vehementiae respondens. — *Virium* pro-
stratio insignis; mox sub initio morbi conspicua. —

Appeten-

Appetentia acidorum atque remediorum quae analeptica sunt. Potulenta ac reliqua, quae deglutuntur, saporem subinde causantur putridum; quin similem subinde odorem; — *Delirium* magis obscurum cum manifesta itidem virium prostratione, stupiditate, seu apathia conjunctum. — Caput saepe vertiginosum, & ipso subinde aegro referente, quasi obnubilatum; oculi languidi, leniter saepius inflammati, squallidi. — Organorum, quae excretoria sunt, conspurcatio fomite fordido putrido. Lingua v. g. & os internum materia putrescente scatent. Color linguae saepius subfuscus, molochinus (braunroth), in progressu morbi nigricans. — *Odor corporis putridus*, subinde cadaverosus. Anima foetens &c. — *Excretiones* immodicae, frustraneae, male olentes, atque per vias insolitas. — Haemorrhagiae per alvum, per vias urinarias, nares, cutim &c. Sudores colligativi. Diarrhoea similis. Excreta ipsa (uti sanguis &c.) corrupta ac resoluta. — Ipsum sanguinis serum saepius instar loturae carnis se habet. — *Vrina* calefescens, atrorubra. — Tremor saepius artuum (quales annotavit Celeb. *Pringle* in febribus carcerariis); itidem linguae. Exanthemata, si quae sunt, subni-

subnigri coloris, uti petechiae nigrae ac diffusae, variolae sanguineae nigrae. — *Malo increfcente*: sopores aliaque insensibilitatis phaenomena (uti apathia summa ac adyphia). Excretiones involuntariae ac in-scio aegro. Meteorismus &c. — *Nisus ad gangraenam* a causis levioribus, passim a decubitu ac vesicatoriis. Effectus passim ab irritatione putrida spastici. — Passim autem *plus urgent* seu *eminent* modo symptomata virium prostrationis, modo colliquationis modo denique irritationis phaenomena,

Sub *prima* morbi *invasione* saepius stadium praevium est, quod febrem fere inflammatoriam mentitur, apparenter phlogisticum; breve & reagentis naturae sequela. — Hinc caute agendum est sub initio morbi, atque ad reliqua signa respiciendum,

II. *Causae occasionales & praedisponentes.* (Contagium, effluvia putrida suscepta &c. Constitutio epidemica. Alimentorum ac aëris corruptio putrida. Aër potissimum diu inclusus, non renovatus & effluviis a transpiratione animali plenus. Tempestas humida ac tepida. Effluvia putrida ab aquis stagnantibus, sive aliis cau-

sis, quae in carceribus, nosocomiis, militum castris, coemeteriis &c. locum habere solent. — Causae itidem internae quibus humorum inducitur corruptio; motus v. g. sanguinis impeditus, animi pathemata, aliaque *vim vitalem* prostermentia; excretiones suppressae (uti urinae &c.) vel alienatae unde particularum excernendarum retentio; *Κεραγγια*; acrimoniae. *Abusus alimentorum alcaliscentium; medicaminum quae resolvunt*, (v. g. mercurialium, saponum) *exaestuant* (in febre phlogistica) *refrigerant*, *viresque exhauriunt*, vel *dejectiones alvinas* aut *vomitum* loco incongruo, & nimis repetita vice cient. — Typus febris continentis, seu certe remissiones & exacerbationes magis obscurae. (Neque tamen similis causarum conditio a febribus intermittentibus malignis omnino aliena est.) — Ab instituta forte venae sectione (nisi febris sit complicata *inflammatoria putrida*) enormis virium prostratio, & forte aliorum symptomatum augmentum. —

Restitutio sanitatis quandoque a metastasibus (uti circa aures &c.) ab urina sedimentosa (in febribus inflammatorio-putridis; a moleculis albis, splendentibus, hastulis

haustulis parvis similibus, quae in urina observantur (referente celeb. *Tichy* seu potius celeb. *Klingkofsch*); rarius a sudore, rarissime ab exanthematibus; potissimum autem ac frequenter ab *artis* auxilio, ab antisepticis, roborantibus, uti acidis aliisque.

§. XV.

D. Status febrilis nervosi criteria.

Febres nervosae (sensu *latiori*) omnes vocari possunt, in quibus *affectio nervorum* causam aegritudinis absolvit vel permanentem vel urgentem ideoque therapeuticam.

Hinc *signum generale* status hujus *nervosi symptomatibus* absolvitur *nervorum* gravioribus, quorum gradus causis febrilibus ac paululum manifestis nullatenus respondet. Causae enim, quae nervos afficiunt, remotiores, & extra systema nervorum positae, vel *nullae* sunt, vel *arte medica* haud impugnandae. — Ipse autem nervorum status arte quodammodo mutabilis. Et huc quidem plures casus referri possent, uti

I. Status nervosus ad finem februm, quae diversissimae sunt, lethalius saepissime observabilis, & *scenam*

claudens. Vix iam en is casus feorsim' distingui me-
retur, cum aegri statum spectet conclamatum seu in-
sanabilem,

II. *Status* quidam *nervorum* in febribus *intermittenti-*
bus passim obviu8. — Ubi nempe causa propior
februm intermittentium sive permanens est, sive
urgens, & cortice similibusve remediis nervinis uti
licet; casus adest huc referendus,

III. *Status nervosus* in aliis febrium speciebus passim
intercedens, quin *praevius*, spasmis aliisque *nervo-*
rum symptomatibus, ac generali quod diximus signo
conspiciu8,

IV. *Status febrilis nervosus sed lentus.* (In febre
sic dicta *lenta nervosa*). Causae alius generis (mu-
cositas &c.) saepissime complicatae, — Sed status
nervosus eminens & diuturnus,

V. *Status febrilis nervosus acutus;* isque praecete-
ris omni8 memorabilis,

Signa. — Calor partes subito, neque aequali-
ter infestans, & frigoris sensu passim interceptus,

(Una

(Una pars v. g. *friget*; altera *calet*; observatur itidem caloris ac frigoris vicissitudo). — *Sensus frigoris* aut *caloris*, de quo aegri passim queruntur, aut quem *abesse* fatentur, iis saepius repugnat, quae in sensus medici cadunt. — Pulsus inconstans, vario morbi tempore varius, ac saepissime mutatus ex alio in alium, (v. §. II.). — *Delirium nervosum*, nempe obscurum & cum *manifesta virium*, quae tamen *prostratae* inveniuntur, intentione; *multo saepius*, quam in aliis febrium speciebus, *recurrens* & multo *diutius perseverans*; subitaneo rationis & sensuum internorum usu legitimo saepius interceptum, eodem tamen itidem *subito disparente* (ut v. g. responsum aegri sanam ac congruam protinus insequatur quaestio absurda, aliudve *mentis subito itidem turbatae phaenomenon*) & symptomatibus spasticis, uti *risu sardonico*, aliisque saepissime nexum. — *Sub initio aegritudinis* morbus saepe *levis*, & omni periculo vacuus esse *videtur*. Metum tamen passim injiciunt: *sensus* quidam aegritudinis internae, nec levioris, (ein besondres Krankheits-Gefühl) *pervigilium continuum*, aliaque symptomata, quamvis singula & signis ad spe-

ciem bonis nexa, insolita ac graviora. — *Symptomata multa spastica*, passim quoque paralytica, neque causis occasionalibus manifestis respondentia (Spasmi v. g. membrorum *manifesti*, sive *paralytes*, a quibus subinde morbus itidem initium capit, ut v. g. affectus hemiplegicos vel tetanoideos, post aliquot dies seu horas in febrem malignam atque nervosam converfos videamus. Urina pallida, pulsus exigui seu obscuri, calor admodum mutabilis, singultus, subsultus tendinum, *aliaque multo plura phaenomena*, quae partium singularum spasmis debentur.

Constitutio epidemica nervosa. Dispositio ad morbos nervorum graviores a causis, quae vim nervorum frangunt, praegressis inducta. — Itidem tamen in hanc febrium speciem subinde homines incidunt robusti, neque dicto causarum genere debilitati — Saepius dolores capitis lancinantes & pertinaciter loco inhaerentes; nausea sine fomite fordido ac manifesto, vomitus mucosi, lingua mucos obducta, sicca, passim dehiscens, aphtosa, tremens, balbutiens; vox & loquela in universum aegro insolita;

lita; symptomata sensuum alienatrum, ut susurrus & tinnitus aurium, phantasmata circa oculos &c. Deglutitio spastica; sonora; oculi subinde fixi, squalidi, subrubri; myopalmos, (fibras subinde musculares ita infestans, ut singulas fibrillas instar serpentium, juxta se invicem positorum, moveri videas; v. g. circa palpebram inferiorem); purpura, dyspnoea spastica, affectum fere peripneumonicum simulans, (sed anima non fervida, pulsus spasticus, extrema saepius frigida, absentia tussis, aliaque indicia spasmodorum); ad finem autem subinde vera peripneumonia a metastasi. — Stranguria & tenesmus vesicae, facies subinde subridens, & horridum aspectum praebens. — A remotione causarum, quae manifestae sunt (uti fordium &c.) levamen expectatum non obtinetur. Item a motibus naturae, a quibus salutem fere expectasses, nulla salus, (v. g. ab haemorrhoidibus, haemorrhagia narium, praevio quodam sanguinis orgasmo). — Salutem afferunt occulta ratione *somnus resciciens*, metastases salutares, ptyalismus. —

Reliquae febrium species in systemate naturali (praeter inflammatorias, gastricas putridas, ac nervosas) vix egent singulari consideratione. — *Febres enim verminosae ad febres gastricas* (sensu latiori) referri possunt. — *Febres pthificae* purulentae causas, quae curandae veniunt, *varias socias* habent, quarum fortè plurimae nobis adhuc incognitae sunt. *Febrium pthificarum*, quae *tabidae* (sensu strictiori) vocantur, *origo & causae curandae partim* pro iis dijudicandae veniunt, quae de *requisitis ad nutritionem* corporis constant e physiologicis, *partim* pro legibus, quibus causae adstrictae sunt therapeuticae. — Iis enim, quae ad nutritionem necessaria sunt & propter morbum *desiderantur*, siquidem id *moliri liceat*, arte medica obviam venimus. Ita v. g. *obstructioni viscerum* vel *glandularum*; *acrimoniis*, excretionibus *retentis* vel *nimiis*, alimentorum paritati aut pravae conditioni; animi pathematibus; virium languori, fordibus denique primarum viarum, aliisque sanae digestionis & coctionis, impedimentis, ==

In aliis febrium speciebus *excretiones* alius generis promovendae sunt in salutem aegri. (Aliae nempe, quam superius dictae per primas vias, aut per venae sectionem). Exemplo sint a) *excretio cutanea & urinae* in febribus *catarrhalibus & rheumaticis*. Frigus & calor sese invicem excipiunt insolita ac frequenti ratione. Affectus manifesto rheumatici seu catarrhales saepissime focii. —

b) Excretio lactis in febribus, quibusdam, a retentione lactis. (Rarius tamen per se & proxime promovenda est haec excretio, cum aliis saepe causis occasionalibus debeatnr ejusdem retentio). Febrem sic dictam puerperarum neutiquam huc refero. —

Febrium, quae *correctionem* causae febrilis atque primariae concedant, certe rara existant exempla, ideoque vix denominari possunt ab hoc artis periculo febrium species in systemate naturali. — Denique monendum est, vel in omni aegritudine febrili morbos intercurrere

hoc

hoc illove respectu *salutares*, & tantum non semper plu-
res causas simul locum habere unamve alteram insequi,
quarum omnium habenda est ratio medico artifice, ne
multa: aegritudines febriles vario respectu & *salutares* &
complicatas esse solere.


(b) Ex parte febris in febribus, quibusdam, a retentione
causae, (namque tamen per se in febribus progre-
ditur, cum illis tempore causae conditionibus, &
causae est, tam retentio). Febrem sic febrem
trahunt, ut dicitur.

Febrium, quae corroborationem causae febris rem-
ittunt, dicitur, certe non debent, febrium
vix humorem, potius de hoc arte febrium, febrium
specie in systema naturae. — Febrium, morborum
est, vel in omni aegritudine febrium, febrium
morborum.

10/18

Pica





D.
12/18



h) Alia quae mira videntur *Huntero*, sua sponte facile patefcunt & explicationem congruam admittunt, fi modo memor effe velis, non omnes hujus generis morbos effe venereos.

§. 13.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA 3

DE
SIGNIS DIVERSI FEBRIVM
CHARACTERIS.

QVAM
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE GRATIOSAE
FACVLTATIS MEDICAE
IN ALMA FRIDERICIANA

PRO
GRADV DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

LEGITIME OBTINENDO
DIE XXII. SEPT. MDCCCLXXXII,

PVBlice DEFENDET

AVCTOR
FRIDERICVS WOHNHAAS,

CVRQVVS,

HALAE,

GITTERIS TRAMPIANIS

